



quacunq̄ue materia vellet, et ipsi de tribus equis melioris formae equum (37A) eligere vellent, et secundum eum aeneum equum fieri oportere: illum vero artificem, qui formalio- rem equum fecisset, ultra precium statutum muneribus honorare intenderunt. Convenientes autem tres sculptores Venetias, unus fecit equum ex ligno cooperiens corio nigro, qui stabat in capella praefata: et ita vivax erat hoc simulachrum, quod, nisi magnitudo insolita et immobilitas equum illum arte factum proderet, ipsum esse naturalem homo vivens aestimaret. Alius artifex equum finxit ex luto, et in fornace decoxit subtilissimae formae, ruffum colore. Tertius ex cera compegit equum album elegantissime formatum. Et hunc Veneti elegerunt, tanquam magis artificialem, magistrumque remuneraverunt. Quid autem de equo fundendo aere fiet, non audivi: forte etiam dimittent; viso ergo illo Conventu et his quae dicta sunt reversi sumus in locum nostrum.

Quarta die, quae erat dominica Vocem jucunditatis et festum Beatissimae Virginis S. Katharinae de Senis, de poenitentia S. Dominici transivimus ad S. Johannem et Paulum, et ibi processioni solemni et Officio divino affuimus. Et erat tota ecclesia plena hominibus et multae Beginae eiusdem habitus erant ibi. Porro infra Officium transivi ad ambitum fratrum, et reperi ibi transeuntem fratrem Ordinis mei, ferentem insignia peregrinorum terrae sanctae, de provincia Franciae, et de conventu Insulensi, qui etiam navigare nobiscum intendebat; cum illo ergo contraxi notitiam, et foedus simul inivimus pro nostra consolatione. Veruntamen in meam galëam non venit, sed in aliam: saepe tamen in Jerusalem ipse mihi, et ego sibi, in consolationem venit. Post prandium ego solus navigavi ad S. Dominicum, ut viderem Patres et ostenderunt mihi manum unam integram Beatissimae Virginis Katharinae de Senis, valde delicatam et grossam, cum carnibus et ossibus, quam et aliquotiens deosculatus fui. In eodem Conventu etiam reperi quendam fratrem Ordinis de Neapoli insignia peregrinorum sancti sepulchri ferentem: cum quo etiam societatem feci. Sed nec ipse in meam galëam fuit receptus. Post ad hospitium navigio reversus sum.

111

109

115

105

120

100

160

060

210

010

Ende

Anfang